



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qualiter votum, & Ordo Matrimonium dirimant. Pun. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

matrimonij non obest, quæ est ratio ob quam matrimonium liberi cum seruo irritatur.

Cæterum in præmissa specie inualidum esse matrimonium maximè in Hispania verius censeo cum Couarruo. 4. decret. 2. p. 7. num. 1. Gregor. Lopez leg. 1. tit. 5. p. 4. Gutier. c. 91. m. 16. eo quòd expressè in dicta leg. 1. sic declaratum sit ibi. [Ema-guer que dice de suso que el seruo se torna libre, por que ve o sabe su señor que se casà, lo encubre, con todo esto no vale el casamiento, por que ella no lo sabía que era seruo quando caso con él; fueras ende si después lo consintiese por palabra o por fecho, &c.] Ratio autem ea est, quia Ius Canonicum absolutè matrimonium serui cum libero seruitutis ignaro irritum fecit ob defectum voluntarij, quem liber habere censetur. At huiusmodi matrimonium verè contractum est à libero cum seruo, quia seruus ut libertatem consequatur debet prius contrahere. Ergo contractus stante seruitute formaliter si; siquidem præcedere debet libertatis consecutionem. Et confirmo, nullus est Textus Canonici iuris, quo hoc matrimonium validum esse declaratur, ut ex præcedenti constare potest. Deficiente autem Iure canonico recurrendum est ad Ius Ciuile cõmune iuxta c. 1. & 2. de noui operis nuntiat. At in Hispania ius commune ciuile est ius regium non autem ius ciuile Romanorum, illud que in decisionibus casuum seruandum est, vti probat Didac. Perez in 3. q. proemiali in ordin. regal. vers. his tamen non obstantibus.

Neque fundamenta contraria vrgent. Ad primum ex Authent. de nuptiis respondeo ad summum probare vbi ius commune Romanorum obseruatur matrimonium validum esse, secus vbi illius leges vim obligandi non habent. Secundo respondeo eius decisionem aduersus ius Canonicum nullam vim habere posse maximè in nullitate, vel valore Sacramenti matrimonij declarando, cum hæc causa sit spiritualis. Ius autem Canonicum (ut probatur est) comprehendit sub decisione sua generali irritante matrimonium serui cum libero hunc casum. Ergo iuri ciuili non est datum contrarium definire. Tertio nego in illa Authent. decisum esse matrimonium valere, sed iustum esse ut valeat, subintelligitur, si ipsi postmodum consenserint, ut explicat lex regia relata, & indicant illa verba tacitam libertatem sequi; prius enim seruus libertatem consequitur, & eã obrenã iustum est matrimonium constare, cum nullum iam subit impedimentum. Ad secundum nego prædictum coniugium non esse serui cum libero, est vti que tamen libertatem consequatur statim. Ad tertium, admitto prædictum coniugium bonis matrimonij non obstat, nego tamen inde inferri validum esse. Non enim coniugia serui cum libero seruitutis ignaro irritantur ex eo quòd bonis matrimonij aequaliter obstant, aliã irritari debent, esto liber concensus esset seruitutis, sed irritatur ob deceptionem libero factam, & inuoluntarium illius consensum; hæc autem deceptio, & inuoluntarius consensus in præfenti casu adest, siquidem contrahit cum seruo, quem liberum esse credit, neque præfenti potest contradicere, si veritatem agnosceret. Quod si obiciat hinc inferri libertatem non esse concessam in matrimonij fauorem; siquidem matrimonium non subsistit? Negandum est quia ad illum effectum sufficit quod matrimonium abque vilo impedimento conditionis seruilis statim subsistere possit, si coniuges velint. Adde non solum in fauorem matrimonij, sed in pœnam delicti à Domino serui commissi hæc libertas conceditur.

§. IV.

An filij conditionem patris, vel matris sequantur?

- 1 Quoad statum libertatis, vel seruitutis non patris, sed matris conditionem sequuntur.
- 2 Procedit conclusio etiam si quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit.
- 3 Debet tamen mater, ut filius hanc seruitutem induat tempore conceptionis, pragnationis, & partus seruituti esse obnoxia.
- 4 Quoad nobilitatem, aliisque honores filius non solum legitimus, sed naturalis patrem sequitur.

Quoad statum libertatis, vel seruitutis certum est filios non patris conditionem, sed matris sequi. ita ut si mater libera sit, liberi sint filij, tamen si eorum pater seruus existat. Econtrã verò si mater seruituti subiecta est filij inde nati serui efficiuntur, esto pater libertatem habeat, sicuti decidit in §. penult. instit. de iure personarum. §. sed & si quis, instit. de ingenuis Leg. partum. Cod. de rei vindicat. Cap. fin. de seruis non ordinant. Rationem tradit D. Thom. communiter receptus in 4. 19. q. unica art. 4. in corp. eo quòd seruitus qualitas sit potius corpus quam animam afficiens, at corpus potius à matre quam à patre procedit, cum in eius utero formetur, coaugmentetur, & coalescat. Si tamen alicubi contrarium consuetudine intro-

ductum sit, illi standum est. Quippe seruitus iuris est humani, ac proinde ex iure humano, quod constituit consuetudo variari potest, ut aperit colligitur ex cap. licet de coniugio seruorum. Et tradit Molin. tract. 2. disp. 3. ad finem. Sanch. plures referens lib. 7. disp. 2. 4. num. 9. Gutier. c. 93. m. 8.

Procedit conclusio etiam si quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit, eo ipso seruus ipsius efficitur, ut probat lex secunda. Cod. si mancipium ita fuerit alienatum, iuncta Glossa ibi, verbo filium, & notat Sanch. dicta disp. 2. 4. num. 6. Gutier. c. 93. num. 6. Item procedit, siue filij ex legitimo matrimonio nascantur, siue non, quia Textus relati nullam in hac parte exceptionem faciunt, vti constat ex leg. & seruorum, vers. ingenui sum. ff. de statu hominum. Et tradit Sanch. supra, num. 8. Gutier. num. 7.

Ut autem filius prædictam conditionem maternæ seruitutis induat, opus est, ut tempore conceptionis, pragnationis, & partus mater seruituti subiecta sit. Nam si aliquo ex his temporibus libera extiterit, etiam si obnoxia seruituti fuerit, filius liber est censendus, ut constat ex §. sed & si quis, instit. de ingenuis; & manumiss. Et tradit Gloss. in c. fin. verbo deteriori, 1. 9. 4. Mol. na dicta disp. 3. ad finem. Sanch. à num. 10. Gutier. num. 9.

Verum si de nobilitate, aliisque honoribus loquamur, filius legitimus patris conditionem sequitur, ut expressè decidit in leg. cum legitime, ff. de statu hominum, & leg. regia 3. tit. 2. l. 1. p. 2. leg. 1. tit. 11. p. 7. Quinimò eandem conditionem sequitur filius naturalis, tamen si ex concubina domi non recentia natus sit vti nostro iure regio decisum est in dicta l. 1. tit. 11. p. 7. Neque his obest Textus in leg. regia 3. tit. 1. §. 4. excludens filium naturalem à patris, & aui honoribus, quia ut rectè tradit Azuero leg. 10. n. 5. tit. 8. lib. 5. nouis collect. Rojas de iustissimis, ab intestato. cap. 1. Gutier. cap. 93. num. 2. & alij, hæc lex regia 3. loquitur de filiis naturalibus non quibuscunque, sed ex damnato coitu natis: Si ergo nec patri succedunt, neque eius nobilitatem, & honorem participant. Secus verò qui propriè naturales sunt, qui ex testamento integrè succedere patri possunt, ut habetur l. 11. tit. 1. §. 6. & l. 10. Tauri, & ab intestato succedunt in duabus vnciis iuxta leg. 8. tit. 1. §. 1. part. 6. & consequenter parentis nobilitatem, & honores participare possunt.

PUNCTVM VI.

Qualiter votum, & Ordo matrimonium dirimant?

- 1 Votum simplex castitatis non est impedimentum dirimens, nisi fuerit emissum in Societate Iesu post biennium.
- 2 Votum solemne emissum in professione Religionis, & susceptione Ordinis impedimentum est dirimens.
- 3 Graues Doctores censent votum emissum in Religione iure natura matrimonium dirimere.
- 4 Vera sententia est non iure natura, sed solo iure Ecclesiastico.
- 5 Ordo impedimentum præstat iure Ecclesiastico matrimonio contrahendo.
- 6 Qualiter autem Ordo obliget, & an susceptus ex metu, vel ante pubertatem matrimonium impediat remissus respondetur.

Constat apud omnes votum simplex castitatis non esse impedimentum dirimens matrimonio contrahendo, vti definitum est in cap. consilium. Cap. rursus. Qui clericus, vel coenobitus. Cap. unico de voto in 6. Ab hac doctrina excipitur votum castitatis, simul cum aliis duobus paupertatis, & obedientiæ emissum in Societate Iesu post biennium, quod est simplex sit, efficaciam habet dirimendi matrimonium, ut constat ex bulla edita à Gregorio XIII. quæ incipit Ascendite Domino.

Votum autem solemne quale est emissum in Religionis professione, & in susceptione Ordinis sacri impedimentum dirimens est matrimonio contrahendi, ut constat ex cap. memorimus, & ex d. cap. Rursus. & cap. fin. Qui clericus, vel coenobitus, & ex dicto cap. unico, de voto in 6. & ex Conc. Trinitate, sess. 24. can. 9. Neque de hac doctrina est inter Catholicos vlla controuersia.

Solum dubitant quo iure votum castitatis maximè in Religionis professione emissum præstat impedimentum dirimens matrimonio contrahendo? Graues Doctores, Durand. in 4. d. 28. quæst. 1. in fine corp. Dominic. Sotus lib. 7. de instit. quæst. 1. art. 5. vers. sed interrogas? Petr. de Soto lect. 5. de matrimon. sub finem. Couarruo. 2. part. de sponsal. capite 7. §. 4. & alij censent iure natura matrimonium dirimere, eo quòd voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ venum Religiosis continentibus tradatur Religiosis Religioni obsequenda. At res vni tradita æquè alteri tradi, ergo nequit Religiosus se coniugi tradere matrimonium contrahendo.

Ceterum communis, veraque sententia docet non iure natura, sed solum iure Ecclesiastico votum in professione Religionis, & a fortiori in Ordine sacro emissum matrimonium dirimere, sicuti multis comprobatur Sanch. lib. 7. disput. 26. a num. 1. Coninch. disput. 3. dub. 6. num. 67. & seqq. Vazq. 1. 2. disput. 16. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 22. num. 4. Galpar Hurtado disput. 15. difficult. unica. Paul. Layman. lib. 5. summ. tract. 10. part. 4. cap. 3. num. 1. Ratio a posteriore sumitur, quia matrimonium simul cum professione Religionis coherere potest, ut manifestè constat in eo qui ex licentia coniugis, vel diuortio legitimo facto Religionem proficitur. Signum ergo est nec professionem ex se dirimere coniugium, neque coniugium professionem. A priori verò ea est ratio, quia esto Religiosus voto continentia se Religionis tradat, ea traditio solum est vt à Religione gubernetur, & dirigatur in propria perfectionis consecutione iuxta Regulas ipsius Religionis. At prædicto fini non obstat coniugium secluso illius voto, vt conuincitur exemplo Beatissimæ Virginis, & plurium coniugatorum, qui Religionem professi sunt, ergo iure naturæ professio Religionis matrimonium dirimere non potest. Restat ergo vt solum iure Ecclesiastico hanc vim, & efficaciam habeat. Præterea votum esse simplex vel solemne solum iure Ecclesiastico inductum est, vt probauimus latè tract. 15. de Voto. disp. 1. & tract. 6. de statu Religioso ex definitione Bonifac. VIII. in cap. un. de Voto in 6. & ex Gregor. XIII. in bulla, Ascendente domino. At votum simplex omnes farentur ex se non dirimere matrimonium, esto illud impediatur. Ergo nec votum solemne illud ex se dirimere poterit, sed solum iure Ecclesiastico, a quo solemnitatem accipit.

Quoad Ordinem atinet etiam est certum de fide sacrum Ordinem vel ratione sui, vel voti castitatis secum annexi matrimonium contrahendum dirimere, vt colligitur ex cap. 1. & 2. Qui clerici, vel vocantes. Cap. a multis de etate, & qualitat. & cap. placuit. Cap. lectores, & alij 32. dist. & leg. regia 16. tit. 2. part. 4. Quo autem iure hanc efficaciam dirimendi matrimonium facer Ordo habeat? Variant Doctores. Alij dicunt iure Diuino positio. Alij iure naturali. Sed rectius censent qui solo iure Ecclesiastico eam potestatem Ordini concedunt. Quippe nullus est locus Scripturæ, neque Concilij, ex quo colligi possit Christum Dominum hanc potestatem dirimendi matrimonium Ordini concessisse. Ex iure autem naturali non illam continet Ordo, siquidem optimè cum Ordine compatiri potest traditio corporis ad coniugalem vsum. Superest ergo vt solum ex iure Ecclesiastico habeat facer Ordo efficaciam dirimendi matrimonium. Atque ita docet Sanchez disput. 28. num. 24. Gutier. cap. 94. num. 10. Rebelle. lib. 3. quest. 4. Vazq. tom. 3. in 3. part. disp. 249. cap. 2. Basilus Ponce, lib. 7. cap. 27. num. 5. & alij, & nos latè diximus tract. de Ordine. part. 17.

Supererat dicendum, an Ordo susceptus obliget ad castitatem, abstinendumque à coniugio non solum ob votum ibi inclusum, sed etiam ratione sui ex lege Ecclesiastica? Item an suscipiens Ordinem ex metu cadente in constantem virum vel in etate impuberi, vel ante vsum rationis, vel ignarus obligationis hac adstringatur obligari one? Sed has difficultates prædicto tract. de Ordine punct. 17. examinaui, quibus nihil speciale addendum occurrit.

PUNCTVM VII.

De impedimento consanguinitatis.

- 1 Quid sit consanguinitas?
- 2 Distinguitur per lineas, & gradus.
- 3 Pro computatione graduum triplex regula constituitur.
- 4 Quæ sit computatio graduum spectato iure Ciuili, & Canonico?
- 5 Quoad successiones computatio ciuili seruanda, secus quoad matrimonium.
- 6 Consanguinitas impedimentum est dirimens matrimonium contrahendum ex iure positio.
- 7 An iure natura sit aliqua consanguinitas dirimens matrimonium? Referuntur sententiæ.
- 8 Probabilius est in primo gradu linea recta matrimonium irritum esse.
- 9 In alijs gradibus incertissimum est.
- 10 De gradibus linea transversa plures censent in primo iure natura esse irritum matrimonium.
- 11 Contrarium verius est.
- 12 Satis sit oppositis rationibus.
- 13 Quædam illatio apponitur.

Consanguinitas (teste D. Thom. ferè ab omnibus recepto in 4. d. 40. q. 6. art. 1.) est vinculum, seu propinquitas personarum ab eodem stipite descendendum. Dicitur vinculum, quia consanguinei, eo quòd ab vno sanguine originem trahunt, seu in vno sanguine communicant vinculo amicitia ligantur. Quod apertius indicant illa verba ab eodem stipite

descendentium, ex eo namque quòd ab vna radice descendant & ab ea virtutem accipiant inter, se sicuti rami vnius arboris colligantur. Neque opus est illis verbis ab eodem stipite descendendum, addere verbum propinquo vt placuit Paludani in 4. d. 40. quest. 1. art. 1. Et Couaruu. in 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 6. num. 1. & seqq. Satis enim verbo stipitis hæc propinquitas declarat, nam esto omnes ab Adamo descendant, cuiusq; virtus omnibus quoad speciem communiceatur, non tamen quoad indiuiduationem, complexionem, motumque similitudinem: hæc enim ex stipite propinquo provenire debent, ideòque descendentes quo ab stipite remotiores existunt, minus stipiti assimilantur, vt optimè notauit Sidorus relatus in cap. consangu. 359. 4.

Distinguitur consanguinitas per lineas, & gradus. Linea est ordinata collectio personarum ab vno stipite descendendum, seu omnes personæ consanguineæ collectiue sumptæ. Et hæc est duplex, altera recta, altera transversa. Recta est collectio eorum, quorum vnus ab alio originatur, continetque ascendentes, & descendentes. Transversa est collectio consanguineorum ab eodem stipite descendendum, quorum vnus ab alio non originatur. Quoribus autem mentio lineæ fit, nisi aliud exprimat de linea recta intelligendum est, non de transversa, vt notauit Mascard. Anton. Peregrin. de Fideicommiss. art. 22. & seqq. Gradus verò est habitudo coniunctionis vnus consanguinei ad alterum per ordinem ad stipitem, a quo descendunt.

Pro computatione graduum triplex regula à Doctoribus constituitur, vt videre est apud Sanch. lib. 7. disp. 50. à num. 4. Prima est pro linea recta. Tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo distat, quod generationibus ab eo descendit. Vnde filius est in primo gradu cum patre, quia media vnica generatione ab eo procedit, nepos cum auo in secundo gradu, quia duplex generatio mediæ, & sic de reliquis. Secunda regula est linea transversa æqualis iuxta Textum in cap. ad sedem. Et in cap. parentela 359. 5. inquit, tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo distat, quot quilibet coniungitur, vel distat à communi stipite: quia solum ratione illius, & per illius respectum coniunguntur, vel distant ideòque fratres sunt in primo gradu, quia in ordine ad stipitem vterque immediatè coniungitur. Tertia regula habita in cap. fin. de consanguinit. pro linea transversa inæquali est, tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo distat, quot distat à communi stipite is qui remotior est. V. g. Maria est nepis Petri, Francisca eius abnepis, Paulus vero eiusdem abnepos, hic ab vtraque æqualiter scilicet quatuor gradibus distabit, quia tot distat à Petro. Etenim cum tantum ratione communis stipitis coniungantur, nequeunt magis inter se coniungi, quàm remotior fuerit illi coniunctus.

In computatione graduum lineæ rectæ conuenit ius Ciuile cum Canonico, secus in computatione graduu lineæ transversæ siue æqualis, siue inæqualis. Nam ius Ciuile computat omnes gradus, qui sunt in personis computatis, cum autem in quolibet sit vnus gradus ab alio distinctus, etiam ab stipite vterque æqualiter differat plures gradus computat. Vnde asserit duos fratres esse in secundo gradu, seu in duplici gradu cum stipite, quia vnusquisq; suum gradum habet per ordinem ad stipitem commune. Et duo filij fratrum sunt in quarto gradu, quia vnusquisque duplici generatione distinctus ab alio descendit ab stipite, & consequenter duplicem gradum distinctum continet.

Quoad successiones computatio iuris Ciuili seruanda est, vt deciditur in leg. regia 3. tit. 6. part. 4. tam in foro Ecclesiastico, quàm sæculari, vt tradit Couaruu. in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 6. num. 8. In alijs vero contractibus, & actionibus, seruanda est computatio illius fori, ad quem pertinet contractus. At quoad matrimonium fidelium semper computatio iuris Canonici spectari debet, quia in hac parte nihil ius Ciuile disponere valet, sicuti hæc omnia notantur Couaruu. supra. Sanch. lib. 7. disp. 50. num. 3. Gutier. cap. 98. num. 1. traditurque à lege regia 3. tit. 1. part. 3.

Consanguinitas igitur impedimentum est dirimens matrimonium contrahendum, non quidem ex iure aliquo Diuino veteri Leuit. 18. quo antiquitas matrimonium dirimebatur quia illud ius lege Euangelica abrogatum est: nec nouo aliquo à Christo promulgato, quia nullum extat, sed iure Postificio, quod olim vsque ad septimum gradum extendebatur, vt constat ex cap. ad sedem 35. 9. 5. Nunc autem ad quartum inclusuè extenditur iuxta Textum in cap. de consanguinit. Ratio huius prohibitionis est, quia matrimonium, sicut & reliqua omnia ad fouendam charitatem referri debent, ad quem finem maximè expedit matrimonium inter consanguineos interdici, vt sic homines obligentur cum non consanguineis contrahere, & hac vià Republica in charitate, & amore fundetur. Quippè consanguinei satis erant amore, & familiaritate coniuncti titulo consanguinitatis, ac proinde non indigebant matrimonio ad charitatem fouendam. Expedit ergo matrimonium, quòd vinculum est amoris ad eos tantum qui prædicto titulo amicitia carent, extendere. Præterea actus coniu